



3036

POSITIONES  
DE  
I V D I C I I S,  
E O R V M Q. O R D I N E  
C I V I L I.

M 9  
1618, 4

Q V A S

D. F.

Ex decreto Amplissimi Jurisconsultorum  
Collegii in celeberrimâ Basil.  
Academia,

(3)

15.

Pro gradu Doctoratus in Vtroq; Iure  
impetrando

Publica disquisitioni exponit

I O H A N R I C H T E R  
O S S I T. M I S N.

Ad diem X. Febr. Anno M D C X V I I I.  
Horâ locoq; solitis.



B A S I L E Æ,  
Excudebat I O H. I A C O B U S G E N A T H I U S,  
Acad. Typographus.







ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO,

DN. HENRICO MEDIO RUTHENO  
Dynastæ à Plauen, Domino in Graiz, Cra-  
nichfeld, Gera, Schlaiz & Lo-  
benstein &c.

Domino meo Gratiorsis.



*M*ATERIAM, quam huic disputationi inaugurali desti-  
nâram, Illustris ac Generosiss. Domine, ob causas, quas do-  
mi habeo, iterum manibus seposui: arripui istam atq;  
tractavi, non ut debui, sed prout in festinatione T. G.  
non ignotâ & itinere isthoc radioso potui. Qualiscunq; verò sit,  
omnino T. G. consecranda est. Omnia enim mea post DEUM O. M.  
inclita T. G. familia atq; DD. Tutoribus, qui T. G. & Illustris Do-  
mini DN. JOHAN. CASPARI B. à SCHONBURG, Domini in  
Glauchâ & Waldenburgk studiis ac peregrinationibus olim Me  
praesse, nunc aliâ conditione apud T. G. permanere voluerunt, me-  
ritò ascribo. Suscipiat igitur hanc meam disputationem G. T.  
clementi animo, & suâ gratiâ Me ulterius, uti hactenus assuevit,  
prosequatur oro. Erit, quo cum DEO alia melioris nota subse-  
quentur. Valeat & vivat G. T. cum Generosissimo Domino Fra-  
tre in subditorum salutem quàm diutissimè. Dab. Basilea, 3. Fe-  
bruar. 1618.

T. Gen.

additis.

JOHAN RICHTER.





**I**N nomine Domini nostri JESU CHRISTI, qui  
& res penitus desperatas donare & consumma-  
re suæ virtutis magnitudine potest, *const. de con-*  
*cept. D. 5. 2. l. 1. §. 2. inf. C. de vet. jur. enucl. ad omnia*  
*consilia omnesque actus semper progredimur. l. 2. C. de offic.*  
*pres. prat. Afr.*

P O S I T I O I.

**U**ANQUAM satis manifestum sit, in cujusvis dissertationis  
principio cum primis ejus rei, quæ tractanda suscipitur, no-  
minis originem & significata enucleari solere ac debere, *l. 1.*  
*D. de just. & jur. l. 1. D. de offic. quæst. l. 1. §. 1. D. de pact. l. 1. D. de reb.*  
*cred. l. 1. D. de furt. judicii que vocem in jure nostro haud uno acceptari*  
*modo: tamen quia id negotii alii dudum executi sunt, istaque omnia ac-*  
*curatè comportarunt, unde huc facillè accersi queunt, isthuc labori su-*  
*perfedeo, ad ipsam protinùs rem accessurus.*

2. Judicium igitur est legitima rei inter litigantes controversæ coram  
judice instituta disceptatio, ut is eam suâ sententiâ dirimat. *l. Neseinius 34.*  
*vors. respondi. D. de negot. gest. l. Labeo 3. §. tamen si. D. de recept. l. 1. §. inde 10. D. de*  
*oper. nov. nunc. l. cum clericis 23. C. de Episcop. & cleric. l. rem non novam 14. C. de*  
*judic. c. forus 10. §. judex. de V. S.*

3. Singulas, quas accumulunt interpretes nostri, judicii divisiones re-  
censere operæ non est. Summa ejus nobis divisio sit, quòd judiciû aliud  
civile est aut criminale, aliud ordinariû aut extraordinarium. Illud verò  
non ex jure veteri, quo formulæ certæ in usu erant, *l. actio 47. D. de negot.*  
*gest. hodieque sublatae sunt, §. fin. Inst. de interd. l. 1. & 2. C. de form. & impetrat.*  
*act. ion. subl. Cujac. 10. obs. 20. Anton. Faber 4. conject. 7. sed pro nostro nota-*  
*mus usu.*

4. Civile est, in quo de privato actoris jure vel commodo agitur. *l. ult.*  
*D. de fer. & dilation. l. interdum 4. D. de publ. jud. l. 1. §. 1. D. de probat. Criminale,*  
*ubi pœna corporalis delinquenti infligitur, vel pecuniaria fisco applica-*  
*tur. arg. §. in summa 10. Inst. de injur. l. locatio 9. §. 5. D. de publ. & vectig. Quæ*  
*res utut magnam altercandi DD. causam præbuerit. Delrio ad l. transige-*  
*re. C. de transaction. à n. 8. usq; 21. apud Saxon. indubia est, quibus criminale*  
*tantum id dicitur, in quo ad pœnam corporis afflictivam agitur. Fachs.*  
*diff. 13. Reinh. diff. 24. p. 4.*

5. Ordinarium est, in quo solennis ordo seu certus modus rem con-  
troversam tractandi observatur, *argumento Authent. offeratur. C. de lisis*  
*contest. l. juris 2. C. de jurisdic. omn. jud. l. prolatam 4. C. de sentent. & interloc. c.*  
*quoniam 11. de probat. c. sepè contingit. Cl. de V. S. Extraordinarium, in quo*  
*modus ille solennis seu processus non servatur. Unde etiam summa-*  
*rium dicitur, quòd in eo summarie, simpliciter, sine strepitu & figura*





judicii proceditur. De illo quoad causas civiles in presenti strictim dis-  
serere lubet, ubi tamen etiam plura occurrunt, quæ nec in summano o-  
mitti possunt.

6. Judicium, uti liquet, omne constituunt Judex, Actor & Reus.

7. Judex est, qui iudicio præsit, & causam cognoscit ac jure definit.  
*d. c. forus. de V. S.* Hic se in adeundo facilem præbeat, sed contemni non pa-  
tiatur, in cognoscendo nec exandescere adversus eos, quos malos pu-  
tat, neque precibus calamitosorum inlacrumari debet. Id enim non est  
constantis & recti iudicis, cujus animi motum vultus detegit, *l. observan-  
dum 19. D. de offic. præsid.* patiens sit, *l. necquicquam 9. §. 2. D. de offic. præcons.*  
æquitatem ante oculos habeat, *l. quod si Ephesi 4. §. 1. D. de eo, quod cert. loc.*  
boni & innocentis viri officio fungatur, *l. ceteræ. 4. §. 1. D. famil. ercisc. l. con-  
tinuus 137. §. cum ita. 2. D. de V. O. l. vir. 18. D. judic. solvi.* Deo, Principi & legi  
mundas servet manus, *Nov. 17. c. 1. nec jurgium alienum suam putet præ-  
dam, l. 3. C. ad L. Iul. repetund.* & non tantum ipse per se abstineat muneribus,  
sed nec alios, per quos delinquat, circa se habeat, *Nov. 8. c. 8. Novell.*  
*124. c. 2. lites diminuatur, l. quidam 21. D. de reb. cred. nullo odio, nullâ levitate*  
*ducatur, c. judices. 4. c. 3. q. 7.* suspectus & inimicus non sit, *c. quod. 15. c. 3. q. 5.*  
universa rimetur, *c. cum. 10. de fid. instrum. oculis suis rem, si res exigat, sub-*  
*ijciat, l. si irruptione. 8. §. 1. D. fin. regund.* terribilis delinquentibus, mitis sit  
placidis & devotis, *Nov. 17. c. 5. in fin.* ipsâ verò lege clementior non sit,  
*Nov. 82. c. 10.* sed veritatem & legum & justitiæ vestigia sequatur, nec ex-  
emplis, sed legibus judicet, *l. nemo. 13. C. de sent. & interloc.* nec præsumtio-  
nibus, sed clarissimis argumentis, *l. ult. C. de probat.* nec quid durius, nec  
quid remissius statuatur. *l. prospiciendum 11. D. de pæn.*

8. Judices dat Magistratus, cui ea potestas à lege, constitutione, Scto  
vel more commissa est. Dari verò possunt ii, qui naturâ, lege & moribus  
dari non impediuntur. *l. cum prætor. 12. §. 1. & 2. D. h. t.* Cæco & minori quæ  
hic intentatur controversia, magè nobis otiosa, quam fructuosa puta-  
tur: ille expressè ad iudicis officium admittitur in *l. 1. §. 5. D. de postul. l. 6. D.*  
*h. t.* hic ab eo repellitur in *l. quidam. 57. D. de re judic.* Nostræ verò ætati vix  
convenit, ut horum alteruter locum in isthoc ordine invenire possit. Juris  
præferimus peritum indocto, *l. rem. 14. C. h. t.* & si esse nequeat, cum *Cujac.*  
*ad Nov. 82.* vel etiam *Hottom. illustr. quæst. 28.* distinguimus. Aliàs iudex Or-  
dinarius est, aut Delegatus, quem Commissarium dicimus.

9. Actor est is, qui actionem intendit, primusque ad iudicium provo-  
cat. *l. in tribus 13. l. qui prior. 29. D. h. l. 2. in fin. D. comm. divid.* Hic uti invitus  
agere non cogitur, *l. un. C. ut nemo invitus. l. pupillus. 4. C. de usur. pupill.* ita  
non facile ad litigandum procedat, nec improbus litigator audiat, sed cer-  
tus sit de re cum habeat in potestate, quâdo velit experiri & ante rem di-  
ligenter exploret, quàm ad agendum procedat, *l. purè 5. §. fin. D. de dol. mal.*  
*& met. except. l. qui 42. §. 2. D. de R. I.* ac ne frustra agat, competens rei forum  
sequatur. *l. juris. 2. l. in criminali. 5. C. de jurisd. omn. judic. ibique gl. in verbo, se-*  
*quatur. l. 2. C. ubi in rem act. c. cum sit generale. 8. de for. compet.* Competens ve-  
rò forum est ratione domicilii, *l. 19. §. fin. D. de judic. contractus, d. l. 19. §. 1.*  
*delicti, l. 1. C. ubi de crim. agi oportet.* rei de qua controversia est, *c. fin. de for. com-*  
*pet.* Nisi persona rei speciali privilegio hic eximatur, ut est in clericis, stu-  
diosis, militibus, viduis, &c. aut etiam quantitas petita id non permittat  
*l. si idem 11. & l. fin. D. de jurisdic.*

10. Reus.



10. Reus, ita appellatus à re vel causa & controversia, quæ ipsi move-  
tur, est qui ab actore ad iudicium producitur, ut cum eo agatur. *l. prope-  
randum. 13. §. 2. C. h. t. d. c. forus. §. reus. de V. S.* Hic invitus ferè iudicio expo-  
nitur. *l. inter stipulantem. 83. §. 1. D. de V. O.* hinc quoad merita causæ & pro-  
bationes favorabilior est actore: quoad iudicii ordinem deterior. *l. 125.  
de R. I.*

11. Agere autem & conveniri possunt pænè omnes. In prohibitorum  
numero qui sint, recensentur in *l. qui accusare. 8. & seqq. D. de accusat. t. 1. C.  
qui legit. person. stand. in jud. hab. t. 1. C. de his, qui accusare non possunt.* Si verò  
semper eximuntur, si suam suorumve injuriam ac mortem exequi vel pu-  
blicam utilitatem vindicare cupiant. *l. 1. 2. 4. II. 13. D. h. l. 4. 12. 15. C. de his, qui  
accus. c. omnib. 4. c. 4. 9. 6.* Mulieres à nostro foro, nisi curatorem habeant,  
omniò exulare jubentur. *Elect. Const. 2. c. 15.*

12. Repetitæ disquisitionis nobis hoc loco sit controversia ab aliis  
agitata, ne in re illicità occupati esse videamur: An homini Christiano in  
iudicio litigare concessum sit? Optandum quidem esset, ut eâ nos vitæ  
ac morum integritate essemus, quò divina illaque juris nostri præcepta  
*l. 10. §. 1. D. de iust. & jur.* exactè observare & iurgiorum causas undique  
evitare possemus. Verùm quia ad eam perfectionem pervenire nequi-  
mus & maximè nostrum interest, ut nos nostraque tueamur, vim repel-  
lamus, bonum conservemus, malumque eruamus, salvâ conscientia cor-  
ram Magistratu, qui in id constitutus est, ut cuius suum servet, discepta-  
re possumus, modò ne temerè & ob res levissimas ad iudicium profilia-  
mus, idq; sine odio, fraude & calumnia finiamus, *post Petr. Martyr. clas. 4.  
loc. comm. c. 15. loc. 5. Gregor. Tolos. lib. 47. Syntagm. c. 1. num. 6. Vent. de Valent. in  
Parth. litig. lib. 1. c. 3. n. 19. usque ad finem.*

13. Porro quò iudicium commodiùs explicetur, alias sibi adsumit Ju-  
dex personas, alias Litigantes. Judex suos habet Assessores, Tabelliones,  
Apparitores. Assessores seu consilarii iudici litis cognoscendæ & rectè  
judicandæ gratia ad sident. *t. t. D. & C. de offic. assès.* Ideò juris ac legum pe-  
riti sint. *l. 1. D. & l. fin. C. d. t. Nov. 82.* Nam si eorum suggestu malè iudica-  
tum sit, non tantum ob dolum, sed imperitiam quoque tenentur. *l. 2. D.  
quod quisque jur. in alter. l. 1. §. persuadere. D. de serv. corrupt. l. fin. D. de extraord.  
cognit.*

14. Tabelliones, Actuarii, Notarii conscribendis & custodiendis iis,  
quæ in iudicio proponuntur, dictantur, eòve mittuntur, præpositi sunt.  
Hi si aliquid scribant quò dictatum non sit, aut omittant quò sit, vel a-  
cta ipsa corrigant, (nisi ubi sententiæ tenor perseverat, *l. actorum. 46. D. de  
re judic.*) divulgent aut perdant, parti læsæ ad id, quò interest, teneri &  
falsi crimen incurrere dubiam non est, *per l. fin. C. de magistr. conven. l. 1. §. 4.  
D. ad L. Corn. de fals. l. si quis. 38. §. 8. D. de pæn.* Apparitores, viatores, li-  
ctores sunt iudiciorum nuncii, iudicis iussu litigantibus ea quæ in iudicio fieri  
debent denunciantes, *t. t. de apparit. C. lib. 12.* quò ad officium viles, abje-  
cti & nullius precii ut plurimum adhibentur homines.

15. Litigantibus assistunt Advocati & Procuratores. Illi sunt patroni  
causarum, qui in iudicio rixantibus auxilium præstant, consilium sug-  
gerunt, & disceptationem exponunt, defendunt ac dirigunt. *l. properan-  
dum. 13. §. illo. 9. l. rem non novam. 14. §. 1. C. de iudic. l. fori. 4. l. advocati. 14. C. de  
advoc. div. iudic. l. 1. C. de repud. bonor. possess.* Cauti igitur, fideles, iusti, periti



juris, instructi, probati & examinati sint, l. 11. C. de advoc. divers. jud. Ord. Cam. p. 1. 1. 18. Et cum munus eorum sit publicum, l. 2. D. de R. I. Gail. 1. observ. 43. n. 3. vitæque hominum pernecessarium, d. l. 4. C. de advoc. div. judic. cogi possunt ut advocacionem exhibeant, nisi justam excusationis causam prætere queant, l. 1. §. ai: prætor. 4. D. de postul. putà, pœnâ pecuniariâ, vel ut advocacionibus & foro careant, l. providendum. 7. §. si quis. C. eod. l. moris. 9. D. de pœn. Gail. d. obs. 43. n. 9. non tamen propriis, sed sumtibus petentis id patrocinii præstare tenentur, gloss. in d. l. 1. §. ai: verb. non habebunt. per l. 1. §. in honorariis. 10. D. de extr. cognis. l. prætor. 4. in f. D. de edend. nisi tenuiores & pauperes sint litigantes, ubi obtentâ victoriâ flagitent Gail. d. lo. nu. 18. aut è publico accipiant salarium, Wesenb. in parat. D. de postul. n. 3. aut dum gratis faciunt, à Deo expectent. Parth. litigof. lib. 2. c. 9. n. 26. Ejus autem subsellii sunt, qui juramentum paupertatis jurarunt, Gail. d. obs. num. 17. vel qui ita judicati sunt à judice, cujus arbitrio id relinquitur. Mascard. de probat. concl. 1159. n. 8. Quibus aliàs modis paupertas probetur, v. Gilh. arb. judic. civ. c. 6. p. 1. de probat. §. 335.

16. Suscipiuntur advocati plerunque ad certam aliquam causam, interdum verò nostris præsertim moribus etiã generatim constituuntur ad omnia quæ alicui evenire possunt in judicio exercenda litigia, certo annuatim accepto salario ac præstito nonnunquam juramento, quòd advocando præstò esse velint, hinc aliquando quæsitum, an talis advocatus, si causam manifestè injustam defendere recuset, perjurus dici mereatur, & ad reddendum, quòd nactus sit stipendium, cogi possit? Non puto. Juramentum enim semper habet conditionem annexam, ut ea cõtineat, quæ licita sunt, Rosenth. de feud. c. 8. n. 8. semper habeat comitem justitiam, nec sit vinculum iniquitatis, v. animadvertendum. 22. q. 2. c. inter cetera. 22. q. 4. c. quemadmodum. 25. & c. cum contingat. 28. de jurejur. c. dilecti. 13. de maj. & obed. arg. l. 3. D. de condit. ob. turp. vel injust. causis. l. properandum. 14. §. paroni. & ibi Bald. C. de judic. Et in malo præstare patrocinium & legibus & naturæ adversatur. Lomnes 6. C. de defensor. civis. Unde peccare in Spiritu Sanctum, qui scienter defendunt lites injustas, ait Ben. de privil. Doctor. priv. 71. n. 32. Sed & controvertitur: An advocatis in bonâ causâ liceat uti cavillationibus & fallaciis? Ita putant plerique, quòd ad justitiam nihil intersit, justo suscepto certamine apertâ pugnâ an insidiis quis vincat. c. dominus noster. 23. q. 2. Verùm hæc Reipubl. admodum perniciofa opinio rectè reprobatur, per l. quisquis. 6. §. 1. verbo, aut subdole. C. de postul.

17. Procuratores sunt qui alienam litem mandatu domini agendam suscipiunt. l. 1. D. de procur. l. 13. D. de paci. l. 86. D. de solution. Ad quod officium, cum de jur. civ. vile erat, olim etiã infamiâ notati admittebantur. §. ult. Inst. de except. l. 34. C. de decurion. Quod hodie in benè constitutis tribunalibus, ipsâq; Camerâ Imp. secus est. Ord. Cam. p. 1. 1. 18. Unde cavetis excludas Doctores, Advocatos & Nobiles, cum impunè procuratorio munere fungi possint. Gail. d. obs. 43. n. 7. Ab universitate qui constituuntur, Syndici sunt. l. 1. §. 1. & 2. l. 6. §. 1. D. quod cujusque univers. c. un. de Synd. Suum hic quoque locum habent defensores, l. 35. §. 1. l. 51. D. de procurat. tutores & curatores minorum ac bonorum, Rosb. in prax. civ. tit. 15. & seq. conjunctæ personæ, l. 35. D. de procurator. consortes litis, l. 1. & 2. C. de consors. ejusd. lit. intervenientes. Rosb. d. lo. 1. 47. & c.

18. Actor devocat prior, uti modò diximus. Igitur aut supplicationem



nem offert iudici, in quâ controversam suam enarrat, & ut sibi adversâ adversarium processus & citatio decernantur, petit, aut libellum statim edit. Dependet enim id ferè ex cuiusvis arbitrio & fori consuetudine, à quâ recedendum non est, quia stylus curiæ pro lege audit. *Rauchbar. l. 9. l. n. 24.* Supplicationis autem, factâ citatione, ratio amplius nulla habetur.

19. Libellus est scriptura, quæ intentionem actoris comprehendit, exarata sit aut pro jure Saxon. *Const. Elector. l. p. l. dictata*, nihil refert. *l. l. §. l. D. de edend.* Et vel simplex est seu summarius, vel articulatus: hic solus in Camerâ: ille in foro Saxon. usitatus. *Const. Elect. p. l. c. 2. ibique Moller. Berlich. l. Concl. pract. 9. n. 3.* Ad hunc cum omnia, quæ ulterius peragi necessum est, referantur, *l. l. D. l. edita. C. de edend. Auth. offeratur. C. de lit. contestat. Obrecht. de concept. & form. libell. c. 1. n. 2. Modest. Pistor. conf. 21. n. 4. vol. 2. in omni causâ exhiberi debet tam de jure civili, quàm canonico, Socin. reg. 233. per c. l. de libell. oblat. nisi sint, quæ sine eo expediri possunt, de quibus Gilh. arbor. judic. c. 3. n. 5. Rol. à Vall. l. conf. 71. n. 37. & seq.*

20. Debet verò clarus & certus esse, non obscurus, nec conditionalis & alternatim conceptus, *d. Auth. offeratur. C. de lit. contest. l. fin. C. de ann. except. l. prætor edixit. 7. §. 4. D. de injur. Gail. l. obs. 61. & 62.* ubi refert quando alternativus subsistat. cui subvenit *Mynsing. l. obs. 53. Gilh. d. lo. c. 3. n. 10. Berlich. d. l. cõcl. pract. 9. n. 6. & seqq. nã quoad fieri potest, sustinendus est l. si quis. 66.* Quòd si evidenter ineptus fuerit, iudicium ipso jure nullum reddit. Ejusmodi autem est quando ex eo non constat actoris jus & petitio, quæ summa ejus virtus est. *Gail. d. l. obs. 61. n. 13. & 66. n. 1. & 12.* Notus aliàs *versiculus vulgaris:*

*Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo:*

*Rectè compositus quisque libellus habet.*

21. Clausulæ libello aliæ in principio, aliæ in medio & fine inseri solent, è quibus tamen non una magis superflua, quàm necessaria dijudicatur, cum nihil præter jus commune operari possint. *§. si minus. 34. Inst. de action. & sunt:* Quòd libellus offeratur non in formâ solennis libelli, sed simplici formâ qualiscunque facti, narrationis, simplicis querelæ, quòd actor superflue probationi se adstringere nolit: se nihil injuriæ: causâ dicturum esse: se hæctenus reum amice compellasse: omnimeliori modo petendo sibi justitiam administrari: reum condemnari: rem restitui: cum pertinentiis, cum refusione expensarum: implorando nobile iudicis officium: salvo jure addendi, detrahendi, minuendi, corrigendi, mutandi atque in totum tollendi, &c.

22. Occasione hujus non prætereunda est vulgaris illa quæstio: *Quandiu liceat actori libellum corrigere & mutare?* Communibus suffragiis approbatum esse constat, libellum ad sententiam usque definitivam correctionem: usque ad contestationem verò litis mutationem admittere, *per l. non potest. 23. D. de judic. l. ut fundus. 18. D. comm. divid. l. ediles 25. §. item 8. D. de edil. edict. l. edita. 3. & ibi DD. C. de edend. gloss. & Schneid. in d. §. 34. Inst. de action. Socin. reg. 235. & seq. Gail. l. obs. 51. n. 9. & obs. 74. n. 4.* Ego verò assentior iis, qui ex jure civili veriùs putant, libellum in eodem iudicio absque discrimine usque ad sententiam definitivam & corrigi & mutari posse, *arg. l. in delictis. 4. §. fin. D. de nox. action. l. cum fundum. 18. §. ultim. D. de vi & vi armata. l. 2. C. de error. advoc. d. l. 3. C. de edend. modò actor reo spatium deliberandi de novâ petitione suscipiendâ concedat. Auth. offeratur. C. de*

*lib.*



lit. contest. & expensas ob priorem temerariè factam vocationem refundat. l. eum quem. 79. D. de iudic. §. pen. In ff. de except. In Camera libello semel edito variatio ejus omninò interdicta est. Denys. in comp. jur. Cam. tit. 175. n. 5. & 8. Schvvarm. 1. process. Cam. 42. n. 34. & seqq. Jure verò Saxonico præter contestationem litis adhuc alia huic disceptationi medela parata est per guarandam, quâ præstitâ actori libellum mutare vel corrigere integrum non est. Const. Elect. 1. c. 11. ibique Moll. n. 3. & seq. Coler. de process. execut. p. 4. c. ult. n. 12. & decis. 109. ibiq; Schultes. nisi, uti jam dictum, petitionè præcedentem annullare, novam instituere & viatica litisq; sumptus restituere velit. Modest. Pistor. 4. q. 155.

23. Actionis nomen an in libello etiam exprimi opus sit, ingens est altercatio, Negantium propter l. tutor. 69. D. de fidej. ibi: non titulus actionis, sed debiti causa respicienda est. l. si filiusfam. 3. ibi: origo obligationis potius, quam titulus actionis considerandus. C. ad S. C. Macedon. Affirmantium per l. non videtur 33. D. de iudic. l. ult. C. de interd. De jure Canon. certum est, omitti posse, dummodò de ipso agèdi jure cõstet. c. dilecti. 6. de iudic. c. ult. de lib. oblat.

24. Evenit quoque interdum, ut plures actiones in uno eodemque libello conjungere necesse habeamus, quod vulgò cumulationem actionum indigerant. Et licet de eâ jus civile, excepto unico casu l. 1. §. quia autem. 4. D. quod legator. in qua Ulpian. actori duas concessit actiones, nihil omninò meminerit: tamen quia ubique in judiciis recepta est, eam à Pragmaticis optimè inventam esse opinamur cum Obrechtio in disp. de concurs. & cumul. action. th. 176. nempe quò lites diminuatur & facilius ad exitum perducantur. Frustrà enim fit pluribus judiciis, quod uno absolvi potest. Obrecht. th. 279. Quæ autem cumulari actiones queant, quæ nequeant, vid. Gilh. d. lo. c. 3. n. 30. & seq. Avenar. in disp. de concurs. action. th. ult.

25. Porrectâ judici supplicatione vel libello decernitur citatio, si actionem competere apparet. Citatio est actus, quo quis autoritate judicis juris experiendi causâ in iudicium vocatur, l. 1. D. de in jus voc. Hæc iudiciarii ordinis principium est, §. omnium 3. In ff. de pæn. rem. litig. nec omitti potest. Gail. 1. obs. 48. n. 1. & 2. obs. 77. in fin. Ant. Gabriel. comm. conclus. de citat. concl. 1. n. 2. & seqq. Est autem realis & verbalis. illa fit manu injectâ, reo comprehenso, ut plurimum adhiberi solita in criminalibus, rarissime in civilibus causis, ubi scilicet de fugâ suspectus reus vel alia urgens jubeat ratio. Rosbach. in praxi civ. c. 26. Hæc fit verbis, c. cum dilecti. 6. vers. expectantibus. de dol. & contum. vel literis, Vult. 2. Jurispr. 28. n. 48. hiisq; aut reo per viatorem vel si subditus non sit in subsidium Gail. 1. obs. 56. n. 5. traditis seu ad domum missis, l. 4. §. 5. D. de damn. infect. aut publicè affixis, c. fin. de eo, qui mittitur in possess. quas edictum vocant, Nov. 112. c. 3. in princ. c. fin. de dol. & contum. Gail. d. obs. 56. ubi n. 8. hunc citandi modum in locis alieno territorio finitimis iustissimum & in Camera observatum esse ait.

26. Nemini utique licet, eum, qui in jus vocatur, vi eximere. r. s. D. ne quis eum, qui in jus vocat. l. legis. 4. D. ad L. Iul. de priv. l. quotiens. 3. C. de exactor. tribut. neque ipsi reo concessum resistere licet, per l. quemadmodum. 29. D. ad L. Aquil. & si id ausus fuerit facere, impunè occidi potest, modò cum moderamine inculpatæ tutelæ fiat, per l. 4. C. de his qui ad Eccles. confugiunt. Fachin. 9. controvers. 73. Quando autem reus fugâ saltè sibi consulere cupit, à lictore necari vel vulnerari sine gravi animadversione non debet, nisi mandatum sit, ut hic vivum vel mortuum iudicio tradat, quæ tamen manda-



mandata levi & cruento huic hominum generi non nisi gravissimas ob  
causas danda sunt. *c. miles. 13. & seq. c. 23. q. 5. Obrecht. de necess. defension. c. 6. n.*  
*49. Fachin. d. 9. obs. 74.* Quod si lictor extra territorium ejus judicis, cui ser-  
vit, alterutrum citationis modum exercere præsumperit, non saltèm sine  
effectu erit: sed etiam cum periculo conjunctum, siquidem vinculis man-  
cipari & quibuscunque modis repelli potest, *argum. Authent. causa qua.*  
*in f. C. de Episc. & Cleric. Becht. de securitat. th. 203. & seqq.* Permissa tamen est  
singulari interdum Magistratum confinium conventionem persecutio &  
comprehensio fontium fugientium extra territorium, ita ut ubi capiun-  
tur, in jus rapiantur, *arg. l. capite 25. §. 4. D. ad L. Jul. de adult.* Sicut de pacis  
publicæ violatoribus, de palantibus, grassatoribus & latronibus speciatim  
constitutum habetur in *Recess. 1559. Denays. in comp. jur. Cam. tit. 213. §. 8. &*  
*ult. Gail. 1. de pac. publ. 16. n. 25. & seq. Thom. Mich. de jurisdic. th. 145. lit. e.* Istud  
adhuc quærent DD. An apparitori verbis seu scripto citanti credi debeat,  
quod de officio suo renunciat? Et puto ipsi credendum esse, cum initio  
officii sui cum juramento assumptus sit. Nemo autem præsumitur esse  
immemor salutis æternæ & fecisse perjurium. *l. ult. C. ad L. Jul. repetund. arg.*  
*l. magis puto. §. ne tamen. 13. D. de rebus eor. qui sub tutel. l. apparitores. §. C. de ex-*  
*actor. tribut. lib. 10.* Si tamen citatus probare velit, citationem ad se non  
pervenisse, omninò audiendus est. *Gilh. d. l. n. 33.* Relatio igitur viatori in-  
termittenda non est, & ad acta diligenter referenda.

27. Complectatur autem quæ scripto fit citatio judicis & litigantium  
nomina, causam, locum judicii & diem audiendæ controversiæ destina-  
tum. *Gail. 1. obs. 48. & seqq.* Ad aliam igitur causam citatus respondere non  
cogitur, ut hæc Camera præjudiciis confirmata est opinio, *Gail. 1. obs. 51. n. 7.*  
*per l. 2. §. 3. D. de judic. Locus ut sit honestus l. quid. 21. §. 11. D. de recept. mo-*  
*nere supervacaneum est, cum non putem, judicem adeò oblitum fore*  
*sui, ut alium eò vocet, quo ipse sine turpitudine esse nequeat. tutus ve-*  
*rò sit, Clem. 2. §. notorium. de sentent. & re judic. & in territorio jus dicentis*  
*situs, l. fin. D. de jurisdic. §. in causis appellationum. vers. iia tamen. de pace Con-*  
*stant. Unde nec extra imperium imperii status ab Imperatore vocati veni-*  
*re coguntur, cujus hac de re privilegii cōservator Illustris Domus Comi-*  
*tum à Schvarzburg laudatur à Cranzio in Chron. Saxon. lib. 10. c. 38. Thom.*  
*Mich. de jurisdic. th. 28. in f. Dies seu terminus debet esse justii spatii pro ra-*  
*tione distantiae locorum judicii & domicilii citati. ideoque id ferè ab ar-*  
*bitrio judicis hæret. In foro Saxonico quantum temporis dari soleat,*  
*nulli obscurum esse potest, trium scilicet quaterdenarum seu sex hebdo-*  
*madum & trium dierum, qui quam ob causam adjiciantur docet Rauchb.*  
*2. q. 24. n. 33.*

28. Si trinâ vel vice omnium unâ peremptoriâ *l. consentaneum. 8. C. quom.*  
*& quand. judex sentent. prof.* citatione factâ reus nullo allegato legitimo  
impedimento non compareat, contumaciæ arguitur, *l. contumacia. 53. l.*  
*quæstum. 60. D. de re judic. & ne judicia lusoria fiant l. si prætor. D. de judic. l.*  
*ult. D. ne quid in loc. publ. cogendus est, ut sese præsentet, d. l. consentaneum.*  
*8. C. quom. & quand. jud. sentent. multam solvat, l. 2. D. si quis in jus vocat. retar-*  
*dati processus expensas refundat, l. properandum. 13. §. 2. C. de jud. l. non igno-*  
*ret. 4. C. de fruct. & lit. expens. aut immissionem ex primo & dein secundo*  
*decreto patiat. l. 1. & 2. D. quib. ex caus. in poss. eat. d. l. consentaneum. 8. C.*  
*quom. & quand. jud. In camerâ uti procedatur, monstrat Gail. 1. obs. 60. In*



tribunalibus Sax. actor rei contumaciam accusat usque ad legitimum impedimentum, de quo *Wehner. in obs. pract. p. 114. Rüdäng. 2. obs. 10.* quod ei in proximè subsequenti iudicio probandum venit, atque illo non probato ad immissionem intentatæ actionis, quæ ex secundo decreto postea decernitur, (ex primo enim missioni isthoc de jure nullus locus est. *Coler. de process. execut. p. 3. c. 10. nu. 5. Fachs. differ. 39. Teub. in instruct. process. c. 9.*) Sin actor abest, id ipsi quoque fraudi esse debet, namque reus ab instantia liberetur, eique actor viatica litisque sumtus restituat, *l. eum quem. 79. D. de iudic. d. l. 4. C. de fruct. & exp. lit.* nec ad agendum iterum admittatur, priusquam de proseguenda lite cautionē præstiterit, *c. 1. de dol. & contum. in v. 1. Gail. 1. obs. 59. Wesenb. in par. D. si quis in jus vocat. n. fin.* Contumax verò dici nequit, qui ad horas matutinas citatus pomeridianis comparet. *Arum. 1. decis. 11.* Utrouque absente terminus pro circumducto habetur, & quoad partes contumacia compensatur pari, uti mora morâ, *l. pecunia. 9. §. 1. l. cum quidam. 17. §. si pupillo. 3. D. de usur. negligentia negligentia, l. si ambo. 10. D. de compensat. dolus dolo, l. domum. 57. §. fin. D. de contr. empt. delictu delicto. l. si uxor. 13. §. iudex. 5. D. ad L. lul. de adult. c. significasti. 4. de divor. c. pen. de adult.*

29. Sæpè etiam fit, ut feriæ interveniant, utque impetrentur dilationes, quæ justam à iudiciis dilationem præbent. Feriæ autem aliæ solennes sunt seu ordinariæ, institutæ scil. divini cultus gratiâ vel causâ necessitatis, messium & vindemiarum; aliæ non solennes seu repentinæ ob insolens aliquod factum & communem lætitiâ à Princ. indictæ. *l. sed et si. 26. §. si feriæ. 7. D. ex quib. caus. maj. l. si pars. 3. C. de dilat. l. à nullo. 4. l. omnes. 7. C. de feriis.* Interrogari hîc solet: An feriæ etiam iis prosint, qui in messibus vel vindemiis occupati non sunt? Et licet neget *Bart. in l. 1. C. de agric. & censit. lib. 11.* hîis tamen prodesse quoque assevero, tum quia hoc Prætoris edictum in *l. 1. D. de feriis.* generale est & ad omnes pertinet; tum quia iniquum esset ea, quæ salubriter pro hominum utilitate introducta sunt, duriore interpretatione in ipsorum detrimentum detorquere. *l. nulla. 25. D. de LL.* Et fieri potest, ut advocati, procuratores & quorum operâ eis in causâ opus est in messe, vindemiâve negotia habeant. Dilatio est diei disceptandæ liti præfixæ ad alterutrius litigantis preces à iudice cum causæ cognitione facta prorogatio. *l. oratione. 7. l. fin. D. de fer. l. diem. 27. D. de recept. l. 1. C. de dilation.*

30. Comparantibus verò litigantibus, actor si tantum, uti diximus, supplicationem obtulerit, jam hîc libellum iudici tradat; sin is modò oblati, reproducat eum ut reo edatur, qui inde inducias petit, quibus deliberet, utrum cedere an contendere velit, ut si contendendum putat, veniat instructus ad agendum cognitâ actione, quâ convenitur. *l. 1. in pr. D. de edend. Auth. offeratur. C. de lit. contest. Ex iux: ad. Auth. & Nov. 53. c. 3.* viginti sunt dierum. alibi in iudicis arbitrio positæ, qui personæ, causæ, iuneris & aliarum circumstantiarum rationem semper habeat.

31. Finitis induciis redeunt disceptaturi ad iudicium, & reus inibi suas, si quas sibi competere putat, objicit exceptiones; actor replicationes. Exceptio dicitur exclusio quædam, quæ cuiusque rei actioni interponi solet ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum est. *l. 2. D. de except.* Replicatio quoque nihil aliud est, quam exceptio, quæ ab actore objicitur, ut rei exceptionem elidat & excludat, *d. l. 2. §. 1. D. de except.* sed & contra replicationem solet dari triplicatio, contra

tra



tra triplicationem quadruplicatio, & deinceps, §. 3. totoque titulo *Inst. de replicat.* & habent tam hæ, quam illæ locum in omni iudicii parte, *gloss. in d. l. 2. §. 1.* modò suus cuique ordo custodiatur. Sed ne dum de iis altercatur, ipsius negotii disceptatio proteletur, §. *fin. Inst. de except.* néve lites in infinitum excrecant & immortales fiant, *l. properandum. 13. C. de jud. certus iis utendi modus præfinitus est in Ordin. Cam. p. 3. t. 26. 29. in fin. & 38. Const. Elect. 18. p. 1.*

32. Exceptiones autem vel dilatoriæ, vel peremptoriæ sunt, sub quibus etiam anomalas seu mixtas comprehendere statuimus: illæ vel declaratoriæ, vel dilatoriæ iterum. Declinatoriæ sunt: exceptio incompetentiæ, præventionis, laudationis, recusationis. Dilatoriæ: loci non tuti, termini angusti, contumaciæ, feriarum, iusti impedimenti, libelli obscuri, ineptæ cumulationis, legitimationis procuratoris, spoli, præjudicialis, pacti conventi, excussionis, ordinis, plus petitionis, & similes. Peremptoriæ: ut, rei iudicatæ, transactionis, solutionis, præscriptionis, usucapionis, litis renunciatæ, doli, metus, erroris, SCti Maced. Vellejan. & ceteræ, quas singulas uberiùs persequi hac vice difficile foret, ideò qui volet, videat in *Vol. 2. disp. Basil. elegant. hac ipsâ in cathedrâ habitam disput. Rod. Brand Erphord. Syndici, & iract. Zang. ac Oldend.*

33. Debet verò reus proponere exceptiones dilatorias antequàm ad ulteriora progrediatur, *l. exceptionem. 19. C. de probat. l. penult. & ult. C. de except. l. Pomponius. 40. §. 3. D. & l. licet. 24. C. de procur. Const. Elect. p. 1. c. 3.* ac primò quidem omnium illas, quæ contra jurisdictionem ac personam iudicis tendunt. *l. apertissimi. 16. C. de judic. l. fin. C. de except. c. inter. 20. de sent. & re jud.* Iudicio enim accepto in iudicè consensum *l. sed & 52. D. de jud. & exceptionib. renunciatū videtur. l. ita demùm 13. C. de procur. l. siquidē. 9. C. de except. c. cum causam. 62. de appell.* Nisi fortè ejusmodi exceptio post litē demùm contestatam superveniat, *c. pastoralis. 4. de except. c. insinuante. 25. de offic. & potest. jud. deleg. vel iudiciū retrò reddat nullum, d. l. 24. C. de procur. vel gravamen successivum habeat, c. exceptionem. 12. de exception. Myns. 2. obs. 73. Moll. 1. Semest. 1. n. fin. Zanger. 2. de except. c. ult. vel iusta denique ad sit facti ignorantia. *l. fin. C. si à non comp. jud. Ordin. Cam. p. 3. t. 18. §. fin. & 24.* Peremptorias post litē demùm cōtestatam producat. *l. siquidem. 9. C. de except.* Ex iis tamen, quæ vel actionem non competere, vel si competebat aliqua, eam sublatam esse commonstrant ac litis ingressum impediunt, etiam antè opponi possunt. *c. 1. de lit. contestat. in v. l. post rem. 56. D. de re judic. l. fratris. 10. C. de transact.* Unde litis finitæ exceptiones nominantur in *d. c. 1. de lit. contest.**

34. Hic subjungere placet quæstionem haud unâ nostrorum lubricatione nobilitatam: An de jure civili Judex ordinarius ob crimen suspecti recusari possit? Quamvis communiter negativa obtinuerit palmam: tamen non vereor, quin verior sit ajens opinio, cum ex *Novell. 86. c. 2. & Auth. si verò. C. de judic.* illa minimè adstrui possit, & detur inibi potiùs consilium, quàm ut necessitas imponatur, quò Episcopus loci suspecto adjungatur, scilicet, ne litigantes hanc ob causam à patriâ longiùs abire & Principis opem quærere cogantur, veluti manifestè apparet ex *Authent. offeratur. C. de lit. contestat. & Novell. 53. c. 2.* ac evidentissimum nobis argumentum exhibet *l. si pariter. 9. D. de liber. caus.* ubi ordinarius judex (illi enim de libertate judicasse probat *Forner. 2. select. 23.*) recu-



fari potest. Sed num totum poterit collegium reprobari? distinguimus.

35. Si exceptiones nullæ productæ aut jam refutatae sint, reus ab actore flagitare solet, idoneam sibi satisfactionem præstari. *l. 1. D. qui satisd. cog.* Est autem satisfactio cautio, quâ adversarius redditur securus, ne id, quod in judicio tractatur, fiat lusorium & irritum. *d. l. 1.* Estque alia necessaria, alia voluntaria. *l. si fidejussor. 7. cum l. seq. D. qui satisd. cog. Cujac. 22. observ. 26.* Quam divisionem frustra oppugnare nititur *Henric. à Suerin reper. lect. jur. c. 17.* Præstatur verò vel datis fidejussoribus idoneis non tantum ex facultatibus, sed etiam conveniendi facilitate atque sufficientibus pignoribus, *l. quosiens. 6. h. t. l. promissor. 21. §. fin. D. de const. pecun. vel jurato, ab eo scilicet, qui bona immobilia in loco judicii non possidet, l. 1. 2. 10. & 15. D. qui satisd. cog.* eò quòd litem usq; ad finem prosequi, intraque duos menses contestari atque expensas, si lis injustè mota appareat, restituere velit. *Auth. generatiter. C. de Episc. & cleric. Nov. 96. c. 1. Nov. 112. c. 2.* Et quamvis non desint, qui hoc satisfactionis jus non magis observari existiment: tamen aperta ejus vestigia etiamnum superesse perspicuum est. *Hering. de fidejuss. c. 10. n. 117. & seq. Berlich. 1. pract. conclus. 13. num. 2.* Sanè jure Saxon. actor necesse habet satisfacere pro expensis & reconventionem. *Const. Elect. p. 1. c. 5. ibiq; Moller.* Eodè quoq; jure Guaranda ab actore præstanda venit actu corporali, putà stipulatâ manu vel tacto baculo judicis. præsens sit an absens reus nihil interest. *Const. Elect. p. 1. c. 4.* Cujus effectum unum notavimus etiam supra *ib. 22.* & videri potest *Moller. ad d. const. n. 4. & 7.* Ultrò satisfactionem ne offerat, quia ab illâ hîc non petitâ immunis erit. *Hering. d. c. 10. n. 128. 137.* A reo ejusdem fori moris est, etiam si bona immobilia nulla habeat, neque de sistendo judicio, neque de solvendo judicato cautionem exigere. *Moller. ad d. Const. 5. n. 2.*

36. Cùm reconventionis mentio modò injecta sit, & aliàs rei eam hîc interdum commoveant, silentio illam præterire haud lubet. Ea igitur est à reo convento contra actorem coram eodem judice instituta actio, arg. *l. Papinianus. 14. C. de sentent. & interl. omn. judic.* Ex qua lege eam veteri Jurisprudentiæ incognitam fuisse adserit *Anton. Faber 20. conj. 6.* quem refutatum iverunt alii. Instituenta verò ante vel statim post litem contestatam, *Zang. de except. p. 2. c. 1. n. 382. & seq. Berlich. 1. pract. concl. 15. n. 35. & seqq. Ordin. Cam. p. 3. t. 30.* ita ut cum ipsa conventionem simultaneo processu tractari, unaque sententia definiri queat, modò ei cognata sit, ex unâ eademque causâ proficiatur & de eâ simul liqueat. *Marant. de ord. jud. p. 4. dist. 6. n. 6. Vulzej. 2. Jurispr. 30. num. 178.* Quòd si seriùs proferatur, separato peragetur processu. *Denays. comp. jur. Cam. t. 258.* Regulariter verò in omnibus admittitur causis, nisi ubi in jure prohibita invenitur, de quibus casibus *r. Gilhausen d. l. c. 5. ram. 1. Berlich. d. c. 15. n. 1. & 16. cum seqq.* Jure Saxonico reconventio tum temum locum invenit, si nihil ipsi sit cum instituta actione connexitatis. *Const. Elect. 7. p. 1.* quæ verò causæ ejusmodi sint, vid. *Zang. d. l. num. 387. Peir. Frider. Mind. de contin. & connex. caus. c. 6. Moller. ad d. const. n. 7. Berlich. d. l. n. 9.*

37. Hactenus de jure, seu, uti nunc loquimur, preparatoriis judicii. *Vulzej. 2. Jurispr. 31. in pr.* descēdamus tandè oportet ad ipsum. Cujus sanè fundamentum ac principium &, ut *Bald. in c. 1. coll. 1. extr. de lit. contest. ait*, lapis angularis & basis est Litis contestatio. Res enim in judicium deducta hîc propriè lis dici meretur, cùm antea controversiæ & simplicis postulatio-

nis



nis nomen habuerit. *l. 1. C. de lit. contest. l. 25. §. 7. D. de petit. hered. Gædd. ad l. litis. 36. de V. S. n. 5. & seqq. Cujac. 9. obs. 21. Gail. 1. obs. 74. Ideoq; in hoc ordine nec ipsarum partium consensu omitti potest, Harim. Pist. 4. q. 23. n. 12. Gail. 1. obs. 75. & omissa processum annihilat atque sententiam. l. prolatam. 4. ubi Barr. & DD. C. de sent. & interloc. omn. judic. c. un. de lit. contest. Est autem litis contestatio rei controversæ apud judicem ab utraque parte testatò facta professio, l. 2. in princ. C. de jurej. propi. cal. l. un. C. de litis contest. affirmante videlicet actore, plerunque contradicente reo. Gail. 1. obs. 73. n. 2. Quo respectu alia dicitur affirmativa, alia negativa. Quamvis non nisi negativam esse veriùs putè, post Vigel. & Obrecht. Niell. disp. feud. 10. th. 4. lit. c. Bachov. disp. miscell. c. 1. utut repugnet ferè communis DD. schola. Gædd. ad d. l. 36. de V. S. à n. 21. usque ad fin. Alia verò generaliter, alia speciatim fit. eaq; sola in nostro Electoratu agnoscitur. Const. Elect. 10. p. 1. Varios, qui inde emergunt, effectus referunt Gilh. c. 4. ram. 3. nu. 20. Rosb. tit. 49. n. 27. Wefenb. in par. C. de lit. contest. n. pen. Bachov. d. c. 1.*

38. Dehinc tota lis tribus potissimùm occupabitur: jurejurando, probationibus & exceptionibus peremptoriis. De hisce nihil nos hac vice tractaturos esse suprà monitum. Maximum verò expediendarum litium remedium & cõpendium est jurisjurandi religio. *l. 1. D. de jurej. l. 1. & 2. §. 8. & fin. C. de jurej. propi. cal.* Namque sacramenti timore compescitur contentiosa litigantium instantia, *l. 1. in prin. C. h. t. & temeritas hominum facile ad litigandum procedentium coërcetur, in princ. Inst. de pæn. tem. litig.* Est autem jusjurandum religiosa enunciatio cum invocatione DE I conjuncta, ut sit testis ejus, si verum dicat, & puniat, si fallat, *arg. l. quod si. 21. D. de dol. d. l. 1. D. h. t. Beust. ad rubr. h. t. n. 30.* De cujus variis formulis olim & hodiè usurpari solitis v. *Briffon. lib. 8. de form. Pop. Rom. Rauchb. 2. q. 2. War. ab Erenb. 2. de fæder. n. 120. & seqq.* Ejus verò species, quæ huc pertinent, sunt: Calumniæ, testimonii, purgationis, Voluntarium, Judiciale, Necessarium.

30. Juramentum Calumniæ est religiosa asseveratio, quâ uterque litigantium affirmat & pollicetur, se nihil calumniæ causâ agere vel acturum esse, sed quod omninò justam sibi causam ac defensionem esse credat. *l. 1. & 2. cum Auth. ex Nov. 49. c. ult. subnexis C. h. t. Nov. 124.* Quibus adjicitur: quòd interrogatus verum fateri, non nisi necessarias probationes producere, nec malitiosas dilationes petere, nec patrociniî causâ aliis, quàm quibus convenit, aliquid dare aut promittere velit. De quibus capit. obvii sunt versiculi vulgares apud *Goffr. in summa de jur. cal. n. 2. Termin. in process. judic. c. 210.* Dividitur in generale & speciale: illud ad totâ causam: hoc in singulis olim judicii partibus exigebatur. Hodiè sublato speciali sufficit generale, quo initio litis contestatæ juratur, *d. l. 1. & Auth. hoc sacramentum. d. Nov. 49. c. ult. in fin.* quam malè in latinum sermonem translata esse dicit *Donell. de jurejur. c. 13. n. 5. & Cujac. in eâ etiam istud facit speciale.* Jure Saxonico durante adhuc speciali generale abolitum est. *Beust. ad rubr. de jur. n. 181. Rau. hb. 1. q. 10. n. 3. cujus rei rationem reddere nititur Wefenb. in par. C. h. t. n. 5.*

40. Et cum sincero quemq; animo ac fiduciâ obtinendi ad judicia accedere oporteat, *l. iuratio. 11. §. 3. in fin. D. ad L. Falcid. in omnibus causis d. l. 1. C. h. t. de Calumnia jurent cum personæ principales, tum eorum advocati & procuratores. d. §. 1. d. l. 2. in princ. & §. 4. l. rem non novam. 14. §. 1. 6. de jud. Nov. 124. c. 1. l. qui bona. 13. §. 13. D. de damn. infect.* Quod apud advo-



ratos & procuratores magno cum Reipubl. intertrimento ferè in usu esse desit, cum tamen horum nonnulli interdum frequentius illis calumniari nòrint. *l. ab Anastasio. 23. C. mand. c. 2. §. 2. de jur. propi. calumn. in v. 1.* In causâ universitatis uti præstetur notat *Elect. const. 13. p. 1. per l. municipilus. 97. D. de condit. & demonstr. l. 14. D. ad municip. Auth. hoc jur. C. de SS. Eccl. d. l. 2. §. 5. in fin. C. h. Pil. Modic. quæst. aurear. 1. Rauchbar. 1. q. 8. nu. 13. Coler. decis. 115. n. 16.* Tutores quoque & curatores in causâ pupillorum & minorum jurare necesse habent, *d. l. 2. §. 2.* Nec non etiam mulieres. *Rauchb. d. q. 8. nu. 9. & seq.* Remittitur verò patronis & parentibus. *l. de die. 8. §. 5. D. qui satisd. cog. l. quotiens. 14. l. si patronus. 16. D. de jurej. l. qui bona. 13. §. 14. de damn. infect. Hisce accensio Dominum atque Vasallum. c. 1. §. in quibus. de consuet. rect. feudi. 2. F. 33. Rosenh. de feud. c. 1. n. 12. & c. 12. n. 58. Vulterj. 2. de feud. 3. nu. 6.*

Quòd si quis eorum, cui istud juramentum præstare incumbit, recuset, impunè non feret, & quidem actor repellitur ab instituta actione; reus pro confesso habetur, ita tamen, ut sententia declaratoria accedat. *d. l. 2. §. 6. & seq. d. Auth. principales. §. 5. C. h. t. c. ult. extr. eod. Gail. 1. obs. 86.* Et quia hoc sacramentum non pro privatorum commodo, sed communi utilitate introductum est, jure civili neque tacitè neque expressè remitti potest, ac si fiat, iudex exigere & exactum litigans præstare coguntur. *d. l. 2. §. 4. C. h. Forner. 2. select. 4. Rauchb. 1. q. 11. n. 4.* Jus tamen canon. constituit, ut expressè quidem remitti non possit, tacitè possit, nec teneatur iudex illud postulare adversâ parte nihil opponente, *c. 1. h. in v. 1. quod nunc usu servatur. Gail. d. 1. obs. 85. n. 2.* Affinia huic sunt juramentum dandorum & respondendorum & juramentum malitiæ, quod alterutro litigantiù petente vel iudice jubente præstatur in quacunq; iudicii parte aliquid malitiosè proponi dicitur. *Rauchb. d. q. 11. n. 9. Rosb. 1. 50. n. 18.*

41. Juramentum testimonii est, quod à testibus priùs, quàm testimonium, perhibeant, de veritate dicenda exigitur. *l. jurisjurandi. 9. C. de testib. Purgationis illud vocant, quod reus propter præsumtionem aliquam urgentem ad purgandam conscientiam subire necesse habet. l. præsentis. §. 5. vers. sicubi. C. de his, qui ad Eccles. conf. l. ult. in princ. C. de fid. instrum. l. ult. §. 10. C. de jur. delib. Auth. novo jure. vers. sed si. C. de pæn. jud. malè judicant. l. fin. §. 5. C. de jur. dom. impetr. Nov. 72. c. 3. Nov. 124. c. 2. t. t. extr. de purg. can. Id referri nunquam potest, Rauchb. 2. q. 3. n. 9. Heig. 1. q. 40. n. 37. verùm non tantùm in criminalibus locum habet Fulv. Pacian. de probat. lib. 1. c. 39. n. 12. & seqq. & matrimonialibus, Beust. de matrim. p. 1. c. 47. Bes. de pact. illustr. famil. c. 6. p. 150. sed etiam civilibus Const. Elect. 22. p. 1. Heig. d. q. 40. Gilh. c. 6. p. 6. §. 1. n. 12. & causis fractæ pacis. Beust. ad rubr. de jurej. n. 200. Gail. 2. de p. p. c. 7. Utrùm cui istud sacramentum injunctum est, ejus evitandi causâ innocentiam suam aliis modis probaturus admitti debeat, v. affirm. Rauchb. d. 2. q. 3. Iacob. Schult. ad Termin. proc. c. 46. n. 8.*

42. Juramentum voluntarium communiter statuunt id, quod à parte parti ex conventionione defertur extra iudicium. *l. jusjurandum. 17. l. in duobus. 28. §. fin. l. si quis. 39. D. h. t.* Quod si ita est, nullus ei hoc in ordine locus tribuendus erit: Iccirò pro eo illud, quod in iudicio voluntariè suscipitur, exaudit cum Græcis interpp. *Wesenb. in parat. D. de jurej. n. 17.* Et hoc quidem nemo initio cogitur suscipere; at si semel ex conventionione susceptum est, præstari debet, nisi remittatur. nec delatum referri deferenti, *d. l. 17. h. t. Gilh. d. c. 6. p. 6. §. 1. n. 131. nec præstitū retractari potest, l. admonendi.*



13. in fin. D. l. i. C. h. t. ne videlicet finis negotii alterius causæ fiat exordium. l. si quis. 11. C. h.

43. Judiciale defert pars parti in iudicio iudice approbante. l. sed &. 25. & l. seq. §. fin. D. h. s. l. generaliter. 12. §. 1. C. de reb. credit. Quod si fuerit delatum, omnino suscipiendum est, l. iusjurandum. 34. §. 6. D. h. l. delata. 9. C. eod. nisi vel referatur, d. l. 34. §. 7. l. manifesta. 38. D. d. l. 9. C. eod. vel revocetur, d. l. si quis. 11. C. h. vel remittatur, l. non erit. 5. §. fin. cum l. seq. l. nam. 9. §. 1. l. 32. l. 37. l. 41. D. l. actori. 8. C. h. s. l. Gilhaus. d. l. §. 5. vel iusta ex causa recusetur, c. fin. extr. eod. Iustas causas referunt *Vultej. 2. Jurispr. 2. n. 21. Gotofr. ad d. l. 34. §. 7. h. Donell. de jurej. c. 13. Gilh. d. lo. n. 16. Berlich. 1. pract. concl. 22. n. 11. & seqq.* Defertur autem quacunque quis actione conveniatur, l. ait prætor. 3. §. 1. l. eum qui. 30. §. 3. D. h. ideo etiam in matrimonialibus causis adhibetur, si pro matrimonio postuletur *Gail. 2. obs. 94. n. 13. Beust. ad l. 3. D. h. n. 64. Gilh. d. c. 6. p. 6. §. 4. n. 1. & 12. & criminalibus. d. l. 3. §. 4. D. de his qui not. infam. l. 18. C. ex quib. caus. inf. irrog.* Quibus defertur nihil interest, cujus sint ætatis, status, sexusve. l. 23. l. 26. l. ult. in pr. D. h. t.

44. Veruntamen si actor onus intentionem suam aliter probandi in se receperit, tandemque nihil probaverit, ancipitis disputationis est, An istud iuramentum adhuc deferri possit? Affirmativa firmis subnixæ rationibus communiter arridet, per d. l. 34. in princ. & §. 6. l. 35. l. 38. D. h. l. 25. §. 3. D. de probat. d. l. 9. C. h. *Cujac. 22. obs. 28. Fachin. 1. contr. 19. & 20.* Jure Saxonicolis hæc sopita est, quo actor indistinctè onus probandi à se transferre potest, si narrata in libello, antequàm subeat guarandam vel contestetur litem reo in conscientiam deferat, *Const. Elect. 1. c. 11. qui præstato prius ab actore calumniæ iuramento conscientiam purgare cogitur, Fachs. diff. 52. Chil. Kôn. in proc. c. 66. Wesenb. in parat. D. h. n. 9.* nisi referre iuramentum vel probationibus uti malit, quibus tamen si deficiat ad iuramentum recurrere potest auctore à contrariis probationibus excluso, *Const. Elect. 14. p. 1. ibique Moller. & 3. semestr. 3. Berlich. 1. concl. 23. Rauchb. d. 9. 3. n. 29. Beust. ad rubr. D. de jurej. n. 61. & 76.* Limitat id *Moller. d. l.* si probationes ab actore noviter repertæ fuerint, quibus ante delationem destituebatur.

45. Denique præstato iuramento sive voluntario, sive iudiciali, non aliud quæritur, quàm an juratum sit, remissâ quæstione, an debeat, quasi satis probatum iurejurando l. non erit. 5. §. dato. l. 9. §. 1. l. 11. §. fin. l. 28. in fin. D. h. l. 15. D. de except. & omnimodò custodiri debet iusjurandum adversus eum, qui cõtentus eo fuit, cum deferret. l. 26. in pr. D. h. Tanta enim est ejus efficacia, ut speciem transactionis, l. 2. l. 31. in fin. D. h. l. 21. D. de dot. mal. vim solutionis, l. 27. cum l. seq. §. 1. D. h. acceptilationis, l. 40. D. h. novationis & delegationis, l. 21. l. 26. §. fin. D. h. probationis, d. l. 5. §. 2. l. 11. §. fin. & l. seq. D. h. iudicii, imò non rarè etiã majorem autoritatè quàm res iudicata obtineat. d. l. 2. l. 26. §. fin. D. h. l. 13. D. quib. mod. pign. vel hyp. solvit. l. 1. in pr. D. quar. rerum act. non dat. l. 8. C. de reb. credit. Unde quoq; paratâ habere dicitur executionem, l. 55. de Reg. Jur. neque detecto perjurio aut repertis novis instrumentis retractari potest. d. l. 5. §. 2. l. 28. in f. l. 31. D. h. l. 1. C. h. *Cujac. 18. obs. 35. Wesenb. in par. h. n. 11. cui convenit Const. Elect. 15. p. 1.*

46. Necessarium est, quod ab ipso iudice in causis probationum inopiã dubiis alterutri litigantium parti imponitur, l. 31. D. l. i. l. 3. C. h. t. etiam ubi altera pars id non petat. c. fin. §. sanè de jurej. *Gail. 1. obs. 108. n. 3. & seqq. Fachin. 1. contr. 16. Rosb. in prax. civ. 67. n. 9. & probat. Const. Elect. 23. p. 1. Quæ autem*



autem dubiæ causæ dici mereantur, non una Dd. est sententia. *Cujac. 4. Feud. 36.* opinio non improbanda, quâ judicis arbitrio commendat. Veruntamen cum communi Dd. schola dubiam & inopiâ probationum laborantem causam dico, quando litigans momenta causæ aliquo modo, at nondum plenè probavit. *d. l. 31. & d. c. fin. h. Wesenb. in par. n. 11. Rosb. d. lo. n. 10. Vultej. 2. Jurispr. 2. n. 28.* Unde etiâ suppletorium dicitur. *Myns. 1. obs. 68.* In causis arduis & criminalibus, si criminaliter agitur, ubi probationes luce meridianâ clariores adhiberi debent, *l. fin. C. de probat. l. 14. C. de accus. hoc juramenti genus locum non habet, Gail. d. obs. 108. n. 10. & 2. obs. 94. num. 3. Fach. 1. contr. 15.* Deferri autem debet neque omnibus, neque semper, sed præcedente causæ cognitione probeq; consideratis circumstantiis personarum. *d. l. 3. C. h. t. d. c. ult. extr. eod.* Cui verò potius injungi debeat, actori an reo, disputant inter se nostrates, *v. Gilb. d. l. §. 1. n. 23.* ubi quatuor casuum distinctione hanc rem expedit.

47. Istud præterea nec à parte referri, neq; à judice remitti potest. *d. l. 31. D. h. l. 3. C. eod.* Præstitum autem sententiâ judicis, in qua secundum eum, qui juravit, judicatur, sequi debet, ita tamen, ut superveniente aliquâ magnâ suspicionem & probationem, novisve repertis instrumentis causam retractare & ex integro agere prohibitum non sit. *d. l. 31. D. h. Rauchb. 2. q. 3. n. 20.*

48. Alia juramenti necessarii species est jusjurandum in litem, quod ex delatione judicis præstatur, cum ab adversario contumaciter & dolo malo res vel non exhibetur, vel non restituitur, aut dolo ejus factum est, quò minùs exhiberi aut restitui possit. *Wesenb. in par. D. n. 2. per l. 5. h. t.* Et duas habet species; unam quantum in litem juratum: alteram quanti res est, seu quanti interest. *l. 1. & 2. l. 8. D. h.* Illo permittitur actori rem æstimare pro arbitrio, *d. l. 1. & 8. h.* hoc æstimatur res, quanti reverà est. *d. l. 2. §. 1. D. h.* Unde vulgò illud affectionis; hoc veritatis appellant. *l. 33. D. ad L. Aquil.* Quam distinctionem complures reprobant & adhuc refellere vult *Anton. Faber 16. conj. 1. 13. 16. & 17.* ubi materiam & leges hasce mirum in modum examinat. Commodioris tamen & receptæ doctrinæ gratiâ in foro retinetur. *Beust. ad rubr. h. n. 142. Rosb. in pr. civ. tit. 69. n. 3.*

49. Deferre istud juramentum judicem oportet: nam si alius detulerit, vel eo non delato juratum sit, nulla erit religio, nullum jusjurandum. *l. videamus. 4. §. 1. D. h.* Idque in arbitrio judicis est deferre velit nec ne, *d. l. 1. §. 2. l. 5. §. 1. D. h.* nisi de contumaciâ & dolo malo manifestè liqueat, *d. l. 4. §. 1. arg. l. 37. de V. S. l. 68. D. de rei vindic. & defertur ei, qui litem suo nomine cõtestatus est, l. 7. D. h.* quibus tutor vel curator in causa pupillari & adolescentes adnumerantur. Non autem admittitur impubes, nec procurator, nec mater pupilli, nisi ipsa tutrix sit. *d. l. 4. in f. princ. h.*

50. Postquam juratum est, licebit judici vel absolvere, vel minoris condemnare, quàm juratum sit. *d. l. 5. §. 2. l. 15. C. de jud.* nec detegitur jurantis perjurium, sed refrenatur tantum immoderata ejus affectio, quæ major esse potest, quàm judex necesse habet considerare. Quod tamen plurimi de juramento veritatis intelligi nolunt, cum non facile de perjurio ejus, qui ex necessitate juris in litem juravit, quæri soleat. *l. ult. D. h. & perpende Nov. 82. c. 10.* Cognatum huic adhuc est apud nostrates, quod juramentum minutionis indigetant, de quo *Beust. ad rubr. n. 167. Rauchb. l. 9. 9.* Et hæc de juramentis semel hîc convolvere lubuit, quamvis non ignorem, aliud alio in processu judiciario loco adhiberi.

51. Quò



31. Quò melius probationibus via sternatur, longævo communium  
judiciorum usu magis, quàm jure scripto introductæ sunt Positiones.  
*Rosb. l. 51. n. 6.* Positio autem est brevis enarratio ejus, quod ad factum  
controversum perinet, veritatem eliciendi causâ concepta. & vel in spe-  
cie positio est, vel articulus. Illa est pars quædam intentionis, continens  
id, de quo ponens ab adversario suo responderi petit: hic est pars inten-  
tionis ejus, quâ quis probare cupit. Hinc positiones præcedere, articu-  
los sequi debere volunt: verùm hæc differentia in praxi tam accuratè non  
observatur. *Gail. l. 1. obs. 73. in fin. & 79. n. 3.* Sed libellus articulatus lite conte-  
statâ & jur. calumniæ præstito loco positionum vel articulorū repetitur;  
sin articulatus non fuerit, formandæ sunt positiones & desumendæ ex  
ipsius libelli corpore, substantiâ ac visceribus, ut loquuntur, ita ut eidem  
sint similes ac conformes, ad rem pertinentes, non vagæ, non obscuræ,  
non incertæ, nec superflua, sed quæ probatæ relevent. Etenim si eviden-  
ter appareant irrelevantes & impertinentes esse, ne quidem cum clausu-  
lâ: salvo jure impertinentium & non admittendorum, à judice admit-  
tantur. sub qua tamen in dubio tolerantur. *Gail. l. 1. obs. 81.* Exhibendæ au-  
tem mediante juramento, quod dandorum appellant, quòd scil. articuli,  
qui proprium factum continent, veri sint, quodque eos, qui alienum fa-  
ctum, cujus probabilis ignorantia est, *l. 21. D. de probat. l. 6. C. qui milit. poss.*  
*lib. 12.* habent, credat esse veros. *Ordin. Cam. p. 1. l. 69. & seqq.* His quoq; in-  
terdum adjiciuntur additionales & declarativi articuli, qui tamen non  
semper admittuntur. *Mynf. 2. obs. 81.*

52. Quæstio hîc commoveri solet: An positiones super jure rectè  
fiant? Et cum ea tantum ponantur, quæ probari oporteat, cujusmodi  
sunt illa, quæ in facto consistunt, *l. 2. D. de jur. & fact. ignor. l. 16. C. de probat.*  
jus autem, quod per se certum & finitum est, ac judici aliàs constat, *l. 2.*  
*§. Servius. 43. D. de orig. jur. l. 37. D. de aur. arg. mund.* probari opus non est, ab  
interpp. rectè negativa recepta est, nisi fiat de jure municipali vel con-  
suetudine, quæ in facto consistunt. *c. 1. de constit. in v. 1.*

53. Ad positiones oblatas proximum est mediante juramento respon-  
dendorum Responsiones dari. *Ordin. Cam. p. 3. l. 14. 15.* Responsio est posi-  
tionum asseveratio, affirmativè vel negativè facta ab eo, contra què exhi-  
bitæ sunt. Ideò purè, clarè, simpliciter & sufficienter fiat per verbū credo,  
vel nō credo, & similia. Quòd si quem articulum confitetur, res salva est  
& sententia judicis condemnatoria subsequitur. Si respondere ex contu-  
macia nolit, pro cōfesso habetur. *Gail. l. 1. obs. 80.* Sunt tamè, quibus respon-  
dere nemo cogitur. *Gilh. d. l. ram. 4. n. 4.* Solent etiam defensionales & exce-  
ptiones, si opus est, hîc produci, de quib. *Rosb. l. 52.*

54. Sin quas diffitetur positiones reus, aut actor etiam nostro in foro  
causam rei conscientia committere veretur (faciles enim sunt nonnulli  
ad jurandum contemtu religionis, alii perquam timidi metu divini  
Numinis usque ad superstitionem, *l. 8. D. de condit. inst. & qui falsò jura-  
turum sciens provocat ad jurationem, homicidâ deterior est. c. ille. 5. c. 22.*  
*9. 5.*) instructus sit oportet probatione. Ea siquidem est lumen veritatis,  
*l. 4. C. de temp. appell. & regulariter actori incumbit, l. 2. 18. 21. D. l. 23. & fin. C.*  
*de probat. & nisi probeat, absolvitur reus. l. 4. C. de edend. c. cum Ecclesia. 3. in f. de*  
*caussa posses.* Definitur probatio, quòd sit rei dubiæ per argumenta facta  
judici ostensio. *Arzo & Dd. ad rubr. C. h.* Dividitur in artificialè & inartifi-  
cialè: iterum in perfectâ & imperfectam seu semiplenam. Species con-



stituuntur variè, de quibus fusiùs hìc agere nolo, ne nimis prolixus fiam. Potissimū locum sortiuntur instrumenta & testes, *l. i. C. de dilat. l. ii. C. de fi- de instrum.* ceteræ necessitate probandi potiùs liberant, quàm ut rem di- rectò commonstrent. *l. eum qui. 30. D. de iurej.*

55. Actor itaq; intra terminum probatorium, qui ex iure civili trium, quandoque sex vel novem mensium, *l. i. C. de dilat.* de iure Sax. sex heb- domadum triumque dierum, *Const. Elect. 16. p. 1.* in Camera arbitrarius est & ubique prorogari potest, *Gail. 1. obs. 91. n. 13. Moll. ad d. const. n. 7. Berl. 1. pract. concl. 28. n. 23.* offerat articulos probatorios cum iisdem requisitis, quæ in positionibus necessaria esse diximus, addat, si opus est, directo- rium, denominet testes, petat ut prævio testimonii iuramento vel ipse ju- dex eorum examen instituat, *l. testium. 3. §. idem. 3. D. de testib. l. 8. cum Au- thenti. seq. C. de fid. instrum.* velut Commissariis commendet, *Gail. 1. obs. 96. Myns. 3. obs. 40.* denique producat si quæ habet, publicæ privatæ Instru- menta in ipsa forma authenticâ. *Const. Elect. 17. p. 1.* Reus e contra sua ex- hibeat interrogatoria generalia ac specialia, quorum illa de testium per- sonis, hæc de perhibiti testimonii meritis, rationibus ac circumstantiis inquirunt. *l. sola. 4. C. de testibus.* (Uti formentur *v. Gilb. d. l. c. 5. ram. 12. à nu. 5. usque ad fin.*) Instrumenta prolata agnoscat aut diffiteatur, articulos de- nique, si opus est, reprobatorios producat. Judex seu Commissarius, commonstrato suæ commissionis mandato articulos recipiat, parti ad- versa copiam eorū faciat, testes citet, qui sunt sub sua jurisdictione, alios mutuo, ut loquantur, compassu evocet, *Rauchb. 1. 9. 5.* quam sibi vindi- care cupit *Warem. ab Ehrenb. in verosim. c. 5. n. 59.* aut ibi examinari roget, reluctantes cogat, *l. si quando. 19. cum Auth. seq. C. de test. l. 1. de testib. cogend.* litigantibus terminum denunciet ad videndum testes produci ac jurare: tum verò illos atque amanuenses, nisi aliàs personæ publicæ sint & antea jurarint, iuramento obstringat, illi ut veritatem dicant: hi ut omnia fide- liter conscribant, utrique ut ea, quæ deponuntur, silentio custodiant, à perjurio eos dehortetur, ad ipsum denique examen, partibus remotis, progrediatur.

56. Expediunda hìc est quæstio: An testis interrogatus de crimine for- san perpetrato, ob quod à testimonio repelli posset, respondere tenea- tur? Et cum nemo turpitudinem suam manifestare cogatur, communi- ter autore Felino negatum est. *Gilb. d. l. c. 5. ram. 12. n. 2.* Item: An testium sine iuramento vel sub illo tantum, quo Principi vel iudici obstricti sunt, exa- minatorum effata recipienda sint? Iterum nego, *per l. 9. C. de testib. c. horta- tum. 3. 9. 9.* nisi personæ omni fide dignæ sint & partium lubitu iuramen- tum iis remittatur. *Gail. 1. obs. 101. n. 15. ubi n. 11.* tractat, an statuto vel con- suetudine introduci possit, ut testi injurato credatur. Denique: An reus si quæ habet actori instrumenta edere necesse habeat? Etiam hìc regu- lariter negandum puto, *arg. l. 1. 5. 6. & fin. C. de edend. l. 7. C. de testib. exceptis ea sibus apud Donell. ad d. l. 1. C. de edendo. n. 3.*

57. Examine testium ritè peracto, eorumque depositione accuratè consignatâ, à iudice citatis partibus publicentur, & communicentur liti- gantibus cum attestations, tum instrumenta, qui inde disputare, exce- ptiones suas, duplicas, triplicas &c. pro & contra ipsorum testium per- sonas, examen ac dicta, contraque instrumentorum veritatem objicere inceptant. latius *Rosb. d. l. 1. 61.* Cui rei certus modus, certiq; termini sunt  
pra-



prescripti *Const. Elect.* 18. p. 1. scilicet ne lites immortales fiant nec ipsorum litigantium vitas excedant, sed ut iis sint certi deniq; fines. *l. propemodum. 13. C. de judic.*

58. Disputationes hasce subsequitur Conclusio, quæ est ulteriorum probationum & allegationum renunciatio ac totius causæ ad sententiam pronunciamdam facta submissio. *c. pastoralis. 5. de caus. possess. & proprietat.* Quæ licet de substantia processus esse, à quibusdam negetur: tamen ex usu adeò necessaria est, ut nisi in causâ legitimè conclusam sit, nulla ritè fieri possit sententia. *Gail. 1. obs. 107. n. 1. 2. Myns. 5. obs. 17.* Quòd si altera litigantium pars monita concludere nolit, iudex etiam eâ invitâ ex officio causam pro conclusâ acceptare potest. *Auth. jubemus. C. de judic.*

59. Hinc etiam num controvertitur, An factâ causæ conclusionem allegationes juris, informationes & Consilia recipi oporteat? Et quia pars actorum non sunt, sed tantùm eo fine suggeruntur, ut iudicem plenius instruant, etiam nullo dato eorum exemplo vel copiâ parti posse admitti, frequentius obtinuit. *Gail. d. obs. n. 13. cui ad stipulatur Const. Elect. de curiâ provinciali supremâ 2. 4. Gilh. d. l. c. 4. ram. 6. n. 2.*

60. Consequitur sententia, quæ est rei controversæ iudicis pronuntiatione facta decisio. *l. qualem. 18. §. 1. D. de recept. l. 1. D. de re judic.* Eaque vel causam negotiâve principale concernit, vel, si antè fiat, articulum aliquem incidentem seu emergentem. *d. l. 19. §. 2. D. de recept. hæc interlocutoria dicitur, & vulgò dispescitur in simplicem seu meram, & in habentem definitivæ vim. l. 7. & 9. C. de sent. & interlocut. illa definitiva est hoc tantùm loco usurpari solita, & condemnationem vel absolutionem semper habere debet, d. l. 1. vel etiam interdum utrumque simul in diversis articulis, arg. l. 3. C. de sent. & interl. c. 1. de sequestr. poss. & fruct. sive expressis sive æquipollentibus verbis. d. l. 21. §. 1. D. de recept. l. ait prætor. §. 1. l. in sententiis. 59. D. de re judic.*

61. Quæritur: An sententia interlocutoria revocari sive rescindi possit? *Bart. Duaren. & alii in l. 14. D. de re judic.* affirmativam opinionem amplectuntur. *Vaud. 1. var. 99. 49.* negativam. Sed quia hujus rationes tanti pretii non sunt, ut alteram communiter receptam convellere sufficiant, cum *Arum. d. 21. th. 4. ad priorem me confero.* Illud indubium est, ab interlocutoriâ jure civili (secus jure canonico) appellare non licere, nisi damnum contineat irreparabile, vel vim definitivæ habeat. *l. 2. D. de appell. recip. l. 7. C. quor. appellat. non recipiunt.*

62. Verùm ut sententia legitimè fiat, & concipere eam iudex seu in scripturam redigere & pronuciare debet. *l. 1. 2. & 3. cum Auth. seq. C. de sent. ex peric. rec.* Conceptio autem illa non subito & temerè peragatur, sed maturâ habitâ deliberatione & probè perlectis ac ponderatis actis omnibus ac singulis *Authent. adhæc. l. 9. C. de judic. d. l. 2. C. de sent. ex peric. recit. l. fin. C. de sentent. & interloc. absque omni affectu, l. 3. l. 6. §. 2. D. ad L. lul. repet. c. qui revert. 66. c. non licet. 71. c. 11. q. 3.* fiatque de toto negotio ac omnibus simul articulis principalibus & accessoriis, ut sunt expensæ, quæ interdum utrinque justis ex causis compensantur, *Gail. 1. obs. 151. n. 23.* interesse ac fructibus, *Cujac. 23. obs. 1. sit libello conformis, l. 18. D. comm. divid. l. ult. C. de fideic. libert. nec à probationibus aliena, Dd. in l. illicitas §. veritas. D. de offic. præsid. nec legibus, constitutionibus, consuetudini aut stylo curiæ contraria. l. 40. §. 1. D. de judic. l. 32. D. de re jud. l. 1. §. 1. D. ad L. Corn. de fals. Auth. jubemus. C. de*



*judic. l. 2. C. quand. provoc. necess. l. 1. C. ad L. Jul. majest. in princ. Inst. de offic. jud. Nov. 82. c. pen. c. 1. & 9. de sent. & re jud. Judex enim qui contra jus certum judicat, litem facit suam, & quidem imprudentiâ peccans, in quantum de eâ re æquum judicantis religioni videbitur, pœnam sustinebit, in princ. Inst. de oblig. quæ quasi ex del. l. fin. D. de var. & extr. cogn. dolo malo adductus vel precio aut gratiâ depravatus etiam criminaliter plectitur cum famæ dispendio. r. 2. C. de pœn. jud. malè jud. l. 15. D. de judic. Et utroque casu parti læsæ damnum resarcire tenetur. d. l. 15. l. 2. C. de pœn. jud. mal. jud. Nov. 124. c. 2.*

63. Religio mihi est, omittere hoc in loco quæstionem veterem ac vulgarem: An judex secundum allegata & probata, an verò secundum conscientiam judicare debeat? Sine discrimine judicis à quo appellari possit, à quo non possit, statuo, secundum conscientiam judicandum esse. Conscientiam autem non dico cerebrinam aut præconceptam opinionem, quæ judicum affectibus indulgentium oculos obstringere potest, sed sinceram animi sui religionem ac judicium. l. 79. D. de judic. Leges ac rationes subsidiariæ sunt apud alios.

64. Atqui cum cujusvis judicis non sit cognoscere, quid in quaque causâ judicandum, quid in tot opinionum diversitate eligendum sit, solent ut plurimum judices vel proprio motu vel etiam ad instantiam partium acta ad unum vel plures Jurisperitos, eorum collegia, facultates Academicas & Scabinatus transmittere, eosque requirere, ut acta relegant & sententiâ concipiant, quæ inde sententia ex consilio Prudentium lata vocatur. Prius verò, quam istud fit, partes citentur, ut acta irrotulari, h. e. integra obsignari & mitti conspiciant: Quibus etiam copiam literarum, quæ ad Sapientes hoc nomine cum actis transmittendæ sunt, si petant, non denegandam esse, & si denegetur, partem inde appellare posse manifestum est, & notat Marant. p. 6. t. de Appellat. n. 8. & seq. In criminalibus transmissio isthæc ex const. Carol. 105. art. fin. omninò fieri debet.

65. Sive autem ab ipso judice, sive à Prudentium collegio concipiatur sententia, requiritur, ut in eâ imprimis exprimantur tam judicantis & litigantium nomina, quam ipsa causâ, ut sciatur, qualis illa sit, quemadmodum usus testatur passim & varia undique docent exempla apud observantes & decidentes.

66. Pronunciatio seu publicatio denique ex scriptis proferatur d. l. 2. & ult. cum Auth. seq. C. de sent. ex peric. recit. ab ipso judice, nisi persona sit illustris, d. l. 2. citatis ad id illis, quos causâ contingit l. de unoquoq. 47. D. de re judic. interdiu, Novell. 82. c. 3. quia Magistratibus vespertino tempore in publico esse inconveniens est, l. 2. §. 31. D. de orig. jur. consuetâ die l. fin. C. de fer. ac loco, Nov. 82. c. 3. nisi necessitas aliud jubeat. c. statumus. de offic. deleg. in v. 1.

67. Oppugnatur autem sententia lata interdum ratione commissæ Nullitatis vel Iniquitatis. Nulla dicitur sententia, quæ est nullius momenti, nullius efficacis ac roboris. l. 4. §. 6. D. de re jud. l. 1. §. 3. l. 2. & l. ult. in princ. D. quæ sent. sine appell. resc. Et solet proficisci ista nullitas vel ex culpa personarum in judicio versantium, vel ex defectu processus atque ipsiusmet sententiæ. putà, si à judice incompetente, l. nulli. 10. C. de sent. & interloc. l. 2. & l. 12. D. de jud. r. t. C. si à non compet. jud. infami c. infames. 3. q. 7. c. infames. 6. q. 1. vel corrupto, l. 2. §. 2. D. de condit. ob. turp. vel inj. caus. l. 1. C. de pœn. mal. jud. l. 7. C. quand. provoc. non est. necess. si inter personas, quæ legitimæ in judicio



dicio standi locum non habent, *l. 1. C. qui legit. pers. si contra indefensum, pupillum, minorem, furiosum, prodigum, cui bonis interdictum est, contra mortuum, vel absentem, l. 9. 45. in fin. 47. & 60. D. de re judic. si ad instantiam falsi procuratoris, l. 24. C. de procur. si nullo oblato libello, lite non contestata, probationibus non auditis, Auth. offeratur. C. de lit. contest. l. 4. C. de sent. & interloc. si in loco & tempore insolito pronunciatum sit. de quib. fuse Pant. de nullit. Gilh. d. l. c. 8. p. 2. 3. Rosb. t. 72. n. 11. & seqq.*

68. Quæritur: An institutâ nullitatis exceptione inhiberi debeat, ne ulterius procedatur? Initum comm. à DD. distinctionis foedus, cui etiam subscribo, cum sit rationibus munitum & in Cam. Imp. confirmatum, distinguendo nimirum, utrum nullitas ex actis appareat, notoria sit vel in continenti probari possit, an verò altiorem indaginē requirat, ut illo casu, cum acta notoriū inducunt, *c. fin. extr. de cohab. clericor. debeat inhiberi: posteriori casu non debeat. Gail. 1. obs. 113. n. 2. & 3. obs. 127. n. f. obs. 144. n. 6. & 7. Myns. 4. obs. 64.* In illa quæstione: An cumulari cum iniquitate possit? **Ajentium castra sequor.** *Gilh. d. l. n. 30. Coler. de process. exec. lib. 4. c. 3. n. 16.*

69. Ratione iniquitatis impugnatur seu suspenditur Sententia Appellatione, *l. furiv. 6. D. de his, qui not. inf. l. 1. §. fin. D. ad SC. Turp. l. si quis. 11. in f. C. de reb. cred. 1. 1. D. & C. de appell. quæ ut ritè fiat, fiat gradatim l. 21. D. de appell. l. 4. C. de jurisd. à iudice à quo appellare fas est. Heig. 1. q. 10. Besold. de appell. c. 2. Zinzerling de appell. th. 46. & seqq. ab iis, quibus istud beneficium non est ademptum, & in causa, in quâ est permittum, *Treuil. 2. d. 31. th. 3. & seqq. intra de eandem. Auth. hodiè. C. h. 1. Novell. 23. in princ. Gail. 1. obs. 139. n. 1. petantur apostoli intra triginta dies, à sententiæ publicatæ tempore numerandos, l. 6. §. fin. l. 24. C. h. Myns. 4. obs. 36. ut eam intra annum aut ex justâ causâ biennium appellans prosequatur. Authent. ei qui. C. de tempor. & c.**

70. Evenit etiam ut propter eminentem dignitatem vel speciale privilegium iudicis Appellatio non recipiatur, idè in locum eius conjecta est Supplicatio. *l. 1. C. de sent. præf. præf. l. 5. cum Auth. seq. C. de precib. Imp. offer.* Hac cum apud Saxones non admittatur, *Moll. 1. semest. 38. inducta est in eorum foro usitata Leuteratio, de qua Constit. Elect. 19. p. 1. ibique Moller. Knich. de jur. Sax. non prov. verb. jus. c. 4. P. Matth. Wehner. in obser. præf. isthoc verbo. Heig. 1. q. 10. nu. 54. & alii nostrates.* De ceteris, utpote extraordinariis remediis, Revisione, in integrum restitutione & reductione ad arbitrium boni viri, hinc dicere nihil attinet.

71. Si neutro impugnandi Sententiam modo usus acquiescat condemnatus, aut tempus legitimum incuriâ labi patiat, transit ea in rem iudicatam, quâ omnis controversia finem accipit, *l. 1. D. de re jud. l. 1. executorum. 8. C. de except. rei judic. nihilque amplius quàm Executionem desiderat. l. 56. D. de re jud. l. 3. C. d. t. c. 15. extr. eod.* Frustrâ enim esset iudicium institutum, frustrâ sententia lata, nisi id, quod iudicatum est, etiam demandetur executioni, *l. 2. & pen. C. h. 1. & quantum est, jus in civitate esse, nisi sint, qui id exequantur. l. 2. §. 13. D. de orig. jur.* Igitur, ubi spontè iudicatus satisfacere condemnatus nolit, *l. 40. §. 1. D. de pact. l. 15. in f. D. h. fieri debet executio ab eo, qui sententiam tulit, modò ordinariam vel mandatum jurisdictionem habeat. l. 1. 2. 3. D. de jurisd. l. 15. D. de re judic. l. 6. C. de except. rei judic.* Quod si in aliena jurisdictione exequi necesse sit, magistratus illius loci literis requisitorius ab eo invitari debet, qui ita requisitus



alterius sententiam, modò justa sit, exequi tenetur, per l. i. D. de offic. Conf. d.  
l. 15. §. 1. ubi Bart. D. de re jud.

72. Fiat itaque Executio in condemnatum ipsum, l. 4. §. 3. D. d. h. s. l.  
ult. C. de except. rei jud. non in alium tertium, l. 2. C. quib. res jud. non nocet. nisi  
forfan rem litigiosam possideat, Gail. 1. obs. 118. Consil. Marburg. 22. n. 112. vol.  
2. ita ut primò mobiles, & si non suffecerint, immobiles; dein res incor-  
porales, jura, nomina, feuda quoque capiantur, quoad Vasallus vixerit,  
deficientibus allodialibus; d. l. 15. §. 2. D. h. Gail. 1. obs. 117. Rosenth. de feud. c. 9.  
cont. l. 16. n. 19. ultimò si nec illa satis fuerint, deveniatur ad capturam ipsius  
personæ. l. 1. C. qui bon. ceder. poss. In nostro foro quis ordo ser-  
vetur, docet Const. Elect. 32. p. 1. cum quâ conferatur

Ranchb. 1. q. 46. Köpp. decis. 44.

§ 55. etc.

~~~~~

### E R R A T A corrigenda.

Th. 20. lin. 5. post verba hæc, l. si quis. 66. adde: D. h. r.

Th. 33. lin. 6. leg. judicem.

Th. 34. lin. 11. leg. illos.

Th. 35. lin. 10. post verb. possidet, insere: nudâ promissione.

Th. 36. lin. 15. leg. demùm.

Th. 43. lin. antep. post d. l. 3. interpone: §. 1. h. l. 6.

Th. 50. lin. 2. pro 5. lege 4.



CO-





## COROLLARIA.

1.

**V**Surarum usuras admitti nec juri admodum adversum est, nec præsentium nostrarum rerum statui perniciosum.

2.

Subsignatio ejusdem causæ est, ac si epistola à subsignante tota exarata sit. Nec pugnat *l. 26. §. 1. D. de pign. & hypoth. cum l. 39. D. de pignor. action.*

3.

Merum imperium in causâ infirmitatis, uti in absentia potuisse mandari, nec *l. 1. D. de officio ejus, cui mand. est jurisdict.* me docet, nec, ut putem, Bartol. ejusque sequacium in subsidium conquistæ rationes commovere sufficiunt.

4.

In dotalitio cogitur interdum mulier præstare cautionem usufructuariam.

5. Optio-



Optionem in familiâ herciscundâ mi-  
nori adhuc competere, ubi plures duobus  
fratres sunt, textui juris Saxonici con-  
sonum est, à consuetudine  
alienum.

**F I N I S.**





Basel, Diss., 1616/30

(+ 261 2333)

VD 17







3036

1618, 4 <sup>M 9</sup>

POSITIONES  
DE  
I V D I C I I S,  
E O R V M Q. O R D I N E  
C I V I L I.

Q V A S  
D. F.

Ex decreto Amplissimi Jurisconsultorum  
Collegii in celeberrimâ Basil.  
Academia,

(3)

15.

Pro gradu Doctoratus in Vtroq; Iure  
impetrando


Publicæ disquisitioni exponit

IOHAN RICHTER  
OSSIT. MISN.

Ad diem X. Febr. Anno MDCXVIII.  
Horâ locoq; solis.



B A S I L E Æ,  
Excudebat IOH. IACOBUS GENATHIUS,  
Acad. Typographus.



od.D  
.exe  
ntil.  
r. ad  
r. de  
mu  
ns m  
ibus  
s de  
pini  
tò f  
hab  
s ea  
e jus  
rimi  
aud  
F

